Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1277
Quelle:
Copyright:

uti hic contigit; nam et praecedens περικοπη in τὸ *felicitatem eternam* definit. Ceterum sunt etiam, quae e Codice restituas. Ita v. g. non multo post pro *adeo vereque damnata est* legendum sane *adeo ubique damnata est*, et in Operis extremo pro *cultum istum interpretari* reponendum *decorem istum interpretari.*

DLXVII.

R. 3339 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 80. f. min. nitide exaratus, minio distinctus et initiis picturatis inscriptus est: *Incipit prologus Summe wilhelmi parisiensis de fide et legibus.* Initium est: *In ordine sapientialium diuinaliumque scientiarum* &c. Pars brevior *de Fide* ita init: *Incipiamus ergo cum dei adiutorio et dicamus. Quia fides quam hic stabilire intendimus* &c. Pars longior *de Legibus fol.* 11. ita: *Jam igitur expediuimus nos auxilio dei de hijs que proposueramus* &c. Adest περικοπη in Exemplo superiori omissa, rite item legitur *adeo ubique* pro *adeo vereque*, sed in fine prave cum editis *cultum istum interpretari* pro *decorem istum.* Ad calcem: *Completus est cum dei laudibus Tractatus de fide et legibus domini wilhelmi* (Arverni) *Parisiensis.* 1457. Cum Indice exacto, post quem denuo: *Anno domini M°. CCCC°. LVII°. In die S. bonifacij martiris.*

DLXVIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 623 Folior. 184. f. probe scriptus et rubricis distinctus insignitur *Wilhelmus parisien. de sacramentis.* Post doctam magna fama Theologiam ad Insulas *Parisinas* adsumtus fuit *Guilelmus Alvernas* noster, easque morte posuit a. 1249. Inter praecipua ejus Opera, quae *Phil. Feronius* Canonicus *Carnot.* junctim *Aureliae* 1674. f. edidit, praesens est, quod incipit: *Cum inter sapientiales spiritalesque scientias, que diuine seu diuinales uocantur* &c. et finit: *Gracias tamen largitori omnium bonorum Deo agimus, si uel modicam occasionem, ut sapienciores fiant, sapientibus damus.* Addidit Librarius: *Explicit liber de sacramentis S. Wilhelmi quondam Episcopi Parisien.* sed induxit τὸ *S.* et minio *domini* adjecit. Lectio Textus probe conspirat cum Edit. *suprac.* T. I. P. 2. p. 407.

DLXIX.

Codex membraneus lat. Sec. U. 615 XIII. Folior. 278. f. maj. per duas columnas nitide, sed minuto et implexo charactere perscriptus, rubricis distinctus, et inter XVII. *Volumina*, quae M. *Andreas de Weytra*, ut jam et alibi memoratum est, *ad Librariam Collegij ducalis inter viuos* donavit, complectitur *Librum I. et II. Sententiarum* seu *Summae Alexandri de Hales* seu *Alensis* O. M. dicti *Parisiis Doctoris irrefragabilis* et a